

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

CXLIII.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

quæ in concionibus meis exant de controversis articulis. Sese per omnia assensuros. Id ego diutius differendum non judico, cum sit res necessaria, ut post thesin anthitesin etiam addamus, in tanta plurimorum perfidia. De qua re quid tibi videatur, cognoscere cupio. Bene & feliciter vale. Raptim Tubingæ, 30. Julii, Collegas tuos omnes meo nomine reverenter salutabis.

Tuus ex animo totus

Jacobus Andreae.

CXLIII.

Salutem in eo, qui unica est salus & redemptio nostra.

SCRIPSI superioribus septimanis, Clarissime D. Doctor, frater in Christo charissime, per aurigam meum, ad communem fratrem & amicum D. Flinnerum, scique in eo scripto mentionem Invektivæ, quam D. Sturmius adversus personam tuam scripsit, quam ego legi & relegi, certè non sine maximo animi mei dolore. Et speravi, me responsum laturum ab eodem Flinnero: Verum silentio ipse omnia hoc tempore præterit, & forsitan expectat, donec coram, in nuptiis Hagii nostri copiosius mecum hisce de rebus conferat. Interea de novo ex D. D. Oliandro intellexi, & te & Rectorem ad Illustrissimum Principem Argentorati vocatum, verum Sturmium priusquam te conspexisset presentem, in salutato hospite discessisse. Terruit me hoc nuncium & factum insperatum multò magis. Ex hoc enim cogor tandem concludere, bellum & dissidium intra vos exortum esse & fore *irrevocabile*. Doleo ex animo, Adversariis, inter quos Apostata meus est, amplissimam oblatam occasionem, calumniandi & exagrandi, Republicam, Ecclesiam & scholam vestram. Remedium nullum novi, nisi ut Deum pacis veris gemitibus seriò invocem, ut ipse, qui est Princeps pacis, pio aliquo medio vos componat. Quod reliquum est, Clarissime Vir, tibi denuo commendo Casparum Eberum meum, qui mavult propter scholam vestram de vita periclitari, quam in aliis locis sine accessione studiorum suorum vivere. Habeto tibi ipsum quæso commendatum: Neque te, neque Inclitum Magistratum vestrum penitebit, hunc alumnum promovisse, qui revera, DEO concedente vitam, erit aliquando gratissimus. Responsum tuum aut saltem ejus partem aliquam, speravi me accepturum à Flinnero. Cupio enim & famæ & existimationi tuæ lætæ, quantum per me fieri possit, consultum. Bene & feliciter cum privata & publica Ecclesia tua vale. Raptim Ulmæ, 13. Augusti, Anno 73.

Cum hæc exarassẽ ad te, opera planè tumultuaria, ecce, quasi de insperato, offertur mihi, & intimatio D. Decani M. Erythraei, veteris & integerrimi amici mei, qui

qui Gradum Magisterii, in mense Octobri offert petituris, & quidem ceremoniis usitatis, & disputatio tua de afflictionibus, earumque causis, Argentorati habita. Quibus lectis, nescio, quod novum cepit affulgere animo meo gaudium, fore tandem, ut controversia inter te & Rectorem mota, vel jam sopita, vel brevi sopienda sit. Utrum ex hac mea conjectura vel jam factum, vel brevi sperandum sit, fac quaeso, ut primo quoque tabellario resciscam.

T. dignitatis

studiosissimus

Rabus, D.

CXLIV.

Salutem in Christo. Reverendissime & clarissime vir.

Importunitas nostrorum eo nos tandem compulit, ut coacti scriptum hoc Ecclesiae Christi judicandum proposuerimus. In quo sententiam vestram de praesenti nostra controversia interposuissimus, nisi veriti fuissimus, id vobis molestum fore, cum citra fidem datam id factum fuisse videri posset. Invenietis autem aliarum vicinarum Ecclesiarum judicia, quae à magistrato nostro petita sunt, & nobis, ut ea publicaremus, permissum est. Idem optamus à vobis impetrari posse, cum & necessitas exigat, & ad veritatis confirmationem utilissimum sit, multorum testimoniis antagonistas nostros retundere. Quasquam igitur nobis persuasissimum sit, nos nihil novi, nihil alienum à sententia scripturae sacrae, nihil contra consensum verum & catholicum Ecclesiarum recte sentientium affirmare, sed tantum doctrinam usitatam & notam candide repetere, & sine sophismatum praestigiis ad certamina mota applicare, & quantum fieri potest, absque acerbitate falsa refutare; tamen decet nos aliorum judicia de actionibus & conatibus nostris audire & admittere. Itaque reverenter & amanter à te, & toto reverendo ministerio vestro peto, ut hoc publice propositum scriptum nostrum perlegatis, ac de eo pro vestro candore ita judicetis, ut si quid minus commode scriptum & assertum fuerit, liberrimè admoneatis. Hoc enim de nobis certo credite, nos nunquam, DEO nos spiritu suo gubernante, pertinaciter errores, aut saltem non satis circumspectè dicta, quae offensionum causa esse possint, defensuros esse. Imo vero in triste & luctuosum hoc certamen nullo modo nos cum fratribus nostris demississimus, si ullis precibus ab iis pacem, aut ne novis, inauditis, ac plane horrendis paradoxis implicaremur, obtinere unquam potuissimus. Quare si quid ex eo Ecclesiosis nostris periculum emergit, sicut certe sine periculo illa non sunt, quod dulcissimum & sanctissimum, ac longo tempore, dulcissi-

Nan 3

moque